



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistola Lvtheriana Ad Leonem Decimvm Svmmvm Pontificem

Luther, Martin

[Wittenberg], 1521

VD16 L 4633

Leoni Decimo Pontifici Romano Martinus Lutherus Salutem in Christo Iesu
domino nostro. Amen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33349

LEONI DECIMO PONTIFICI ROMA-
no Martinus Lutherus Salutem in Christo Iesu
domino nostro. Amen.

INTER monstra huius seculi, cum quibus mihi iam in
tertium annū res & bellum est, cogor aliquando & ad te
susplicere, tuiq; recordari, Leo pater beatissime, immo cū
tu solus mihi belli causa passim habearis, nō possum unquam
tui non meminisse. Et quanquā impiis adulatoribus tuis in me
sine causa fauientibus, coactus fuerim a sede tua ad futurum
prouocare Concilium, nihil ueritus Pii & Iulii tuorum præde-
cessorum uanissimas constitutiones, idipsum stulta tyrannide
prohibentium, non tamen unquam interim animum meum
a tua beatitudine sic alienaui, ut nō totis uiribus optima quæq;
tibi sediq; tuæ optarim, eademq; sedulis, atq; quantum in me
fuit, gemebundis precibus apud deum quæsierim. Atqui eos
qui me autoritatis & nominis tui maiestate hactenus terrete co-
nati sunt, pene contemnere ac triumphare cepi. Vnum supet
esse uideo, quod contemnere non possum, quæ causa fuit, ut
denuo scriberem ad T.B. Hæc est, quod accusari me & magno
uerti mihi uitio intelligo meam temeritatem, qua nec tuæ per-
sonæ pepercisse iudicor.

Constitutio-
nes ad conci-
lium prouoca-
re prohibent

Harum litera-
rum ad Leo-
nem causa.

Quomodo
Lutherus pō-
tificem tracta-
uerit.

Ego uero, ut rem aperte confitear, conscius mihi sum, ubi-
cunq; tuæ personæ meminisse oportuit, non nisi magnifica &
optima de te dixisse. Si uero a me secus factum esset, ipsemet
nullis modis probare possem, & illorum de me iudicium omni
calculo iuarem, nihilq; libentius quā palinodiam huius teme-
ritatis & impietatis meæ canerem. Appellauit te Danielem in
Babylone: & innocentiam tuam insignem aduersus contamina-
torem tuū Syluestrum, quā egregio studio tutatus sum, cuius
lector intelligit abunde. Scilicet, celebratior & augustior est in
omni terrarū orbe, tot tantorum uirorū literis cantata opinio
& uitæ tuæ inculpata fama, quā ut a quouis, uel maximi no-
minis, possit quauis arte impeti. Non sum tam stultus, ut cum

AD LEONEM RO. EPISCOPVM.

incessam, quem nullus non laudat, quin & mei studii fuit eritq;
semper, nec eos incessere quos publica fama foedat, nullius eni
delector crimine, qui & ipse mihi satis conscius sum, magnæ
trabis meæ in oculo meo, nec primus esse queam, qui in adul-
teram lapidem mittat.

Communiter quidē in impias doctrinas inuectus sum acri-
ter, & aduersarios, non ob malos mores, sed ob impietate, nō
segniter momordi, cuius me adeo non pœnitet, ut animum
indaxerim, contempto hominum iudicio, in ea uehementia
zeli perseverare, Christi exemplo, qui genimina uiperarum,
cecos hypocritas, filios diaboli, suos aduersarios pro zelo suo
appellat. Et Paulus filium diaboli, plenum omni dolo & ma-
litiâ Magū criminatur, canes, subdolos, cauponatores quos-
dam traducit. Vbi si des molliculos istos auditores, nihil erit
Paulo mordatius & immodestius. Quid mordatius prophe-
tis & nostri sane seculi aures ita delicatas reddidit, adulatorum
uesana multitudo, ut quā primum nostra non sentiamus pro-
bari, morderi nos clamemus, & cum ueritatem alio titulo re-
pellere nequeamus, mordacitatis, impacientiae, immodestiae
pretextu fugimus. Quid proderit sal, si non mordeat? Quid
os gladii si non cædat? maledictus uir, qui facit opus domini
fraudulenter. Quare, optime Leo, his me literis rogo expurga-
tum admittas, tibiq; persuadeas, me nihil unquam de persona
tua mali cogitasse, deinde me talem esse, qui tibi optima uelim
contingere inaternum, neq; mihi cum ullo homine de mori-
bus, sed de solo uerbo ueritatis esse contentionem. In omnibus
aliis cedam cuiuis, uerbum deserere & negare nec possum nec
uolo. Qui aliud de me sentit, aut aliter mea hausit, non recte
sentit, nec uera hausit.

Sedem autem tuam (quæ curia Romana dicitur, quā neq;
tu, neq; ullus hominum potest negare, corruptiorem esse qua-
uis Babylone & Sodoma, & quantum ego capio, prorsus de-
ploratæ, desperatæ, atq; conclamatæ impietatis) sane detesta-
tus sum, indigneq; tuli, sub tuo nomine & pretextu Romanæ

Luther⁹ quare tā dure in aduersarios inuectus sit.

Paulus & prophetæ mordaces molliculis sunt.

Nostri seculi delicatæ aures.

Contentio Lutheri.

Curia Romana.

EPISTOLA LVTHERI

Ecclesiae, Iudi Christi populum, atque ita restiti, resistamque dum spiritus fidei in me uixerit: non quod ad impossibilia nitam, & sperem mea solius opera, tot repugnantibus furis adulatorum, quicquam promoeri in ista Babylone confusissima: Sed quod debitorem me agnoscam fratrum meorum, quibus consuli a me oportet, ut uel pauciores, uel mitius a Romanis pestibus perdantur. Neque enim aliud e Roma iam a multis annis in orbem inundat (quod non ignoras ipse) quam uastitas rerum, corporum, animatum, & omnium pessimarum rerum pessima exemplum. Luce enim haec omnibus clariora sunt, & facta est Romana Ecclesia, quondam omnium sanctissima, spelunca latronum licentiosissima, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis, & inferni, ut ad malitiam quod accedat, iam cogitari non possit, ne Antichristus quidem si uenerit.

Quid ex Roma in orbem inundet.

Romana Ecclesia.

Interim tu Leo, sicut agnus in medio luponum sedes, sicut Daniel in medio leonum, & cum Ezechiele inter scorpiones habitas. Quid his monstris unus opponas? adde tibi eruditissimos & optimos Cardinales tres aut quatuor. Quid hii inter tantos ante ueneno omnibus pereundum uobis, quam de remedio statuere praesumeretis. Actum est de Romana curia, peruenit in eam ira dei usque in finem: Concilia odit, reformari metuit, furor impietatis suae mitigare nequit, & implet matris suae elogium, de qua dicitur: Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Officii quidem tui, Cardinaliumque tuorum, fuerat, his malis mederi, sed ridet medicam ista podagra manum, & nec curtus audit habenas. Hac affectione tactus dolui semper, optime Leo, his seculis te Pontificem factum, qui melioribus dignus eras. Non enim Romana curia meretur te tuique similes, sed Satanam ipsum, qui & uere plus quam tu in Babylone ista regnat. O utinam deposita ista quam tibi gloriam esse iactant hostes tui perditissimi, priuato potius sacerdotio aut hereditate paterna uisitares, hac gloria gloriam non sunt digni, nisi Scariotides, filii perditionis. Quid enim facis in curia

Satana non Papa Romae regnat.

AD LEONEM RO. EPISCOPVM.

ria, mi Leo, nisi, ut quo quisq; est scelerator & execrator, eo facilius utatur tuo nomine & autoritate, ad perdendas hominum pecunias & animas, ad multiplicanda scelera, ad opprimendam fidem & ueritatem cum tota Ecclesia dei? O reuera infelicissime Leo, & periculosissimo sedens folio, ueritatem enim tibi dico, quia bona tibi uolo. Si enim Bernardus suo Eugenio compatitur, cum adhuc meliore spe Romana sedes, licet tum quoque corruptissima imperaret: Quid nos non queramus, quibus in trecentis annis tantum accessit corruptionis & perditionis? Nonne uerum est, sub uasto isto caelo, nihil esse Romana curia corruptius, pestilentius, odiosius? incomparabiliter enim Turcarum uincit impietate: Ut reuera, quae olim erat ianua caeli, nunc sit patens quoddam os inferni, & tale os, quod, urgente ira dei, obstrui non potest. Vno tantum relicto miseris consilio, si queamus aliquot a Romano (ut dixi) isto hiatu reuocare & seruare. Ecce mi Leo pater, quo consilio, qua ratione, in sedem istam pestilentiae debacchatus sum, tantum enim abest ut in tuam personam seuirem, ut sperarem etiam gratiam inuenturum me, & pro tua salute staturum, si carcerem istum tuum, immo infernum tuum, strenue & acriter pulsarem. Tibi enim tuaeque saluti profuerit & tecum multis aliis, quicquid in impietate huius seculi curiae confusionem moliri potest omnium ingeniorum impetus. Tuum officium faciunt, qui huic male faciunt, Christum glorificant, qui eam omnibus modis execrantur. Breuiter, Christiani sunt, qui Romani non sunt.

Ad oia flagitia pontificis nomine utuntur scelerati.

Bernhardus Eugenio compatitur.

Vnum consilium corrupta hodierna Ecclesia relicta.

Sed ut amplius loquar, ne hoc ipsum unquam super cor meum ascendit, ut in Romanam curiam inueherer, aut quicquam de ea disputarem: Videns enim desperata omnia salutis remedia, contempsi & dato repudii libello, dixi ad eam: Qui sordet, sordescat adhuc, & qui immundus est, immundus sit adhuc tradens me placidis & quietis sacrarum literarum studiis, quibus prodessem fratribus circum me agentibus. Hic cum non nihil proficerem, aperuit oculos suos Satan, & seruum suum Iohannem Eccium,

Qui Lutheri ad scelera im-
postorū perse-
quen la exci-
tauerint, insignem Christi aduersarium extimulauit indomita gloriæ li-
bidine, ut me traheret in arenam insperatam, captans me in
uno uerbulo, de primatu Ro. Ecclesiæ, mihi obiter elapso. Hic
Thrafo ille gloriosus, spumans & frendens iactabat: Pro gloria
dei, pro honore sanctæ sedis Apostolicæ omnia se aufunim, &
de tua inflatus abutenda sibi potestate, nihil certius expectabat
quã uictoriam, non tam primatum Petri, quã suum principa-
tum inter Theologos huius seculi, quærens, ad quẽ non paruum
momentum habere ducebat, si Lutherũ duceret in triumpho.
Quod ubi Sophistæ infeliciter cessit, incredibilis furia homi-
nem exagitat, sentit enim sua culpa solius factum esse, quicquid
Romanæ infamiæ per me natum est.

Caietanus
Cardinalis.

Atque sine me quæso optime Leo, hic & meam aliquãdo cau-
sam agere, uerolque tuos hostes accusare. Notum esse arbitror ti-
bi, quid mecum egerit Cardinalis sancti Sixti Legatus tuus, im-
prudens & infelix, immo infidelis. In cuius manu, ob tui no-
minis reuerentiam cum me & omnia mea posuissẽ, non hoc
egit, ut pacem statueret, quam uno uerbulo potuisset facile
statuere, cum ego tum promitterem silentium & finem causæ
meæ facturum, si aduersariis idem mandaretur. At homo glo-
riæ, non contentus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare, li-
centiã aperire, & mihi palinodiam mandare, id quod in man-
datis prorsus non habuit, hic sane, ubi causa in optimo loco
erat, illius importuna tyrannide uenit in multo peiorem, unde
quicquid post hæc secutum est, non Lutheri, sed Caietani tota
culpa est, qui ut silerem & quiescerem non est passus, quod tum
summis uiribus poscebam, quid enim facere amplius debui?

Carolus Mil-
itius.

Secutus est Carolus Militius, & ipse B. T. nuncius, qui multo
& uario negotio cursans & recursans, nihilque omittens quod ad
reparandum causæ statum, quem Caietanus temere & superbe
turbauerat, pertineret, uix tandem etiam, auxilio illustrissimi
principis Friderici electoris, effecit, ut semel & iterum familiari-
ter mecum loqueretur, ubi denuo tuo nomini cessi, paratus si-
lere, acceptans etiam Iudicem uel Archiepiscopum Treueren-
sem.

Iudices Luth-
erianæ causæ
electi.

AD LEONEM RO. EPISCOPVM.

uel Episcopum Numburgeū. atq; ita factum & impetratum, dum hæc spe bona aguntur, Ecce alter & maior hostis tuus irruit Eccius, cum disputatione Lipsica, quam instituerat contra D. Carlstadium, & noua accepta de primatu Papæ quaestione, in me uertit insperatum arma, & penitus hoc concilium pacis dissipat. Expectat interim Carolus Militius, disputat, iudices eliguntur, nec hic aliquid decernitur, nec mirum, quâdo Eccii mendaciis, simulationibus, technis, omnia ubiq; erant turbatissima, exulceratissima, confusissima, ut quocunq; inclinasset sententia, maius esset exortutū incendium, gloriā enī non ueritatem quærebat, nihil etiā hic omisi, quod a me fieri oporteret.

Eccius.
Disputatio
Lipsica.

Et fateor, hac occasione, non parum uenisse ad lucem Romanarum corruptelarum, sed in qua si quid peccatū est, Eccii culpa est, qui onus supra uires suscipiens, dum gloriam suam furiose captat, ignominiam Romanam in totum orbem reuelat. Hic est ille hostis tuus, mi Leo, seu potius curiæ tuæ, huius unius exemplo discere possumus, non esse hostem adulatoris nocentioris. Quid enim sua adulatione promouit, nisi malum, quod nullus regum promouere potuisset? sciet enim hodie nomen Romanæ curiæ in orbe, & languet papalis auctoritas, famosa inficitia male audit, quorum nullum audiremus, si Eccius, Caroli & meum de pace consilium non turbasset, id quod non obscure & ipse sentit, sero & frustra indignatus in libellorum meorum additionem, hoc debebat tum cogitare cū totus in gloriam, sicut hinniens emissarius, insaniret, neq; alia, quā sua in te, tuo tamen maximo periculo, quæreret. Sperabat homo uanissimus me formidine nominis tui cessurum & taciturnum (nam de ingenio & eruditione non credo q̄ presumpserit) Nunc cum nimio me confidere & sonare uideat, sera poenitentia temeritatis suæ, intelligit esse in cœlo, qui superbis resistat, & presumentes humiliet, si tamen intelligit.

Eccius adulator plus Romanæ curiæ nocuit, quam potentissimus hostis potuisset facere.

Nihil itaq; hac disputatione promouentibus nobis, nisi maiorem confusionem Romanæ causæ, iam tertio Carolus Militius patres ordinis capitulo congregatos adit, consilium petit

componendæ causæ, quæ iam disturbatissima & periculossima esset: Mittantur hinc ad me, cum uiribus in me (deo propitio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis, qui petunt, ut saltem tuæ beatitudinis personam honorem, & literis humilitatis excusent innocentiam & tuam & meam, esse adhuc rem nõ in extremo desperationis loco, si Leo decimus pro sua innata bonitate manum admoueret. Hic ego, qui semper pacem & obtuli & optaui, ut placidioribus & utilioribus studiis insequerem, cum & in hoc ipsum tanto spiritu sim tumultuatus, ut eos, quos mihi longissime impares esse uidebam, magnitudine & impetu, tam uerborum quàm animi compescerem, non modo libens cessi, sed & cum gaudio & gratitudine acceptaui, ut gratissimum beneficium, si dignum fuerit spei nostræ satis facere.

Reuocare nihil oino vult.

Leges interpretandi uerbi dei nõ vult ferre.

Monet Papam ne adulatorem audiat.

Ita uenio beatissime pater, & adhuc prostratus rogo, si fieri potest, manum apponas, & adulatoribus istis, pacis hostibus, dum pacem simulant, frenum iniicias. Porro palinodia, ut canam beatissime pater non est quod ullus præsumat, nisi malit adhuc maiore turbine causam inuoluere: Deinde leges interpretandi uerbi dei non patior, cum oporteat uerbum dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus saluis, nihil est quod non facere & pati possim, ac libentissime uelim. Contentiones odi, neminem prouocabo, sed prouocari rursus nolo, prouocatus autem, Christo magistro, elinguis non erò. Poterit enim T. B. breui & facili uerbo, contentionibus istis ad se uocatis & extinctis, silentium & pacem utrinque mandare, id quod semper audire desiderauit.

Proinde, mi Leo pater, caue Syrenas istos audias, quæ non putum hominem, sed mixtum deum faciunt, ut quæuis mandare & exigere possis: Non fiet ita, nec præualebis, Seruus seruatorum es, & præ omnibus hominibus miserrimo & periculossimo loco. Non te fallant, qui te dominum mundi fingunt, qui sine tua auctoritate nullum Christianum esse sinunt, qui te in cælum, infernũ, purgatoriũ posse aliquid garrunt. Hostes hi tui

AD LEONEM RO. EPISCOPVM.

hi tui sunt & animam tuam ad perdendum querunt, sicut Isaias dicit: Popule meus qui te beatum predicant, ipsi te decipiunt, Errant qui te supra Concilium & uniuersalem Ecclesiam eleuāt. Errant qui tibi soli scripturæ interpretandæ ius tribuunt, suas enim hi omnes impietates sub tuo nomine statuere in Ecclesia querunt, & prohdolor multum per eos Satani profecit in tuis prædecessoribus. Summa, nullis crede, qui te exaltant, sed iis qui te humiliant. Hoc enim est iudicium dei. Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Vide quam dispar sit Christus Vicarius qui suis successoribus, cum tamen omnes uelint eius esse uicarii. Et metuo ne reuera plurimi eorum sint & nimiti serio uicarii eius. Vicarius enim, absentis principis est. Quod si Pontifex, absente Christo & non in habitante in corde eius, præsit, quid aliud quã uicarius Christi est? At quid tum illa Ecclesia, nisi multitudo sine Christo est? Quid uero talis uicarius, nisi Antichristus & Idolum est? Quãto rectius Apostoli, qui se seruos Christi appellant præsentis, non uicarios absentis.

Impudens forte sum, tantum uerticem uisus docere, a quo doceri omnes oportet, & sicut iactant pestilentia tuæ, a quo iudicantium throni accipiunt sententiam. sed æmulor sanctum Bernardum in libello de Consideratione ad Eugenium, omni pontifici memoriter noscendo. Neque enim docendi studio, sed puræ fidelisq; sollicitudinis officio hoc facio, quæ cogit nos etiam omnia tuta uereri proximis nostris, nec patitur ratione dignitatis aut indignitatis haberi, solis periculis & commodis alienis intenta. Cum enim sciam T. B. uersari & fluctuari Romæ, id est, medio mari infinitis periculis undiq; urgente, & ea te miseria conditione laborantem, ut etiam cuiusq; minimi fratris minima ope indigeas, non uideor mihi absurdus, si interim maiestatis tuæ obliuiscar, dum officium charitatis impleuero, nolo adulari in re tam seria & periculosa, in qua si amicus esse & plus quam subiectissimus tibi, non intelligar, est qui intelligat & iudicet.

B

EPISTOLA LVTHERI

In fine, ne uacuis aduenerim B. T. mecum affero tractatum hunc sub tuo nomine editum, uelut auspicio pacis componendae & bonae spei, in quo gustare possis, quibus nam studiis ego malim & possim fructuosius occupari, si per impios adultores tuos liceret, & haecenus licuisset, parua res est, si corpus speres, sed summa (nisi fallos) uitae Christianae conspectio congesta, si sententiam captes. Neque habeo pauper aliud quo gratificer, nec tu alio eges, quam spirituali dono augeri. Quo & me ipsum paternitati & beatitudini tuae commendo. Quam dominus IESVS seruet in perpetuum. A M E N.

VVITTEMBERGAE, SEXTA

SEPTEMBRIS. ANNO

M. D. X X.